

## Psalmus responsorius

Lc 1, 46-47. 48-49. 50-51. 52-53. 54-55 (R̄: 49)

R̄. Fecit mihi magna, qui potens est,  
et sanctum nomen eius.

vel:

Beáta Virgo María, quæ portásti ætérni Patris Fílium.

<sup>46</sup> Magnificat ánima mea Dóminum,  
<sup>47</sup> et exultávit spíritus meus  
in Deo salvatóre meo, R̄.

<sup>48</sup> Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ.  
Ecce enim ex hoc beátam me dicent  
omnes generatiónes,  
<sup>49</sup> quia fecit mihi magna, qui potens est,  
et sanctum nomen eius, R̄.

<sup>50</sup> Et misericórdia eius in progénies et progénies  
timéntibus eum.  
<sup>51</sup> Fecit poténtiam in bráchio suo,  
dispérsit supérbos mente cordis sui; R̄.

<sup>52</sup> Depósuit poténtes de sede  
et exaltávit húmiles;  
<sup>53</sup> esuriéntes implévit bonis  
et dívites dimísit inánes. R̄.

<sup>54</sup> Suscépit Israel púerum suum,  
recordátus misericórdiæ,  
<sup>55</sup> sicut locútus est ad patres nostros,  
Abraham et sémini eius in sácula. R̄.